



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Confirmatio dicitur necessaria, ut quis sit plene Christianus.

Conc. Laodice.

Greg.

Obiectio 3.

Resp.

Obiectio 4.

Resp. Explicatur S. Thom.

Resp. affirm.

13. Christum vult Ecclesia sumitur pro copposito ex oleo & balsamo. Florent. Fabian.

quod esset erroneum, sed per illam obtineri vberiores gratiam, & hominem per illam esse vinctum. vbi

Notandum Patres qui videntur docere Confirmationem esse necessariam, non velle esse necessariam ad salutem, sed ad hoc, ut quis sit plene Christianus, & ut dicatur vinctus Dei: alludunt enim ad nomen Christi quod significat vinctum. in quem sensum aliqui interpretantur quod habetur can. 48. Concilij Laodicensis, vbi dicitur: oportet baptizatos post baptismum, sacratissimum chrismum percipere, & regni celestis participes fieri. ita ut Concilium non velit Confirmationem esse ad salutem necessariam, sed fideles reges constitui per vinctionem chrismatis, & reddi participes regni celestis quoad significationem chrismatis.

Dices Gregorius 1. lib. 12. epist. 31. vult iterari Confirmationem quæ non potest probari facta, addens: ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.

Resp. solum velle neglectum Confirmationis posse tempore persecutionis esse occasionem ruinae propter carentiam fortitudinis necessariae ad resistendum in persecutione, non quod etiam ad hoc sit omnino necessaria, sed quod sine illa aliqui sufficiens robur non acquirant, quibus proinde dubitatio posset esse ruina, seu ruinae occasio, si forte re ipsa non essent confirmati.

Dices 3. olim hæretici ad Ecclesiam redeuntes iubebantur inungi, ut patet ex Theodoro citato dub. 1. ergo signum est quod indicatum fuerit hoc Sacramentum esse necessarium.

Resp. neg. consequentiam, quia illa consuetudo referri potest ad tempus, quo Sacramentum Confirmationis solebat conferri statim post baptismum, quo tempore si Confirmatio recepta non fuerat, solebat ex consuetudine ecclesiastica primo quoque tempore adhiberi, unde hæretici, qui eam non receperant, solebat conferri, cum ad Ecclesiam redirent.

Dices 4. D. Thom. infra art. 6. ad 1. censet robur spirituale ad fidem publicè confitendam nulli conferri sine voto Confirmationis, quibus verbis designatur necessitas Confirmationis saltem quando instat tempus fidem confitendi.

Resp. satis patet ex hoc art. responsione ad 3. S. Thom. sentire Confirmationem non esse necessariam ad salutem. in responsione autem ad 1. citatâ, ut summum intendere Confirmationem posse aliquo modo censeri necessariam, quando urget tempus fidem profitendi, quamvis nequidem tunc sit absolute necessaria.

ARTICULVS II.

Utrum chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti?

D V P L E X est huius Sacramenti materia, remota & proxima, de hac infra dicemus, de priori præsens instituitur quæstio. cuius

Conclusio est affirmatiua, quæ patet ex pluribus Pontificibus & Patribus, qui agentes de hoc Sacramento, chrismatis mentionem faciunt, ut patet ex dictis.

Notandum verò, quod licet chrisma in genere significet vinctionem, communi tamen vñu Ecclesie & Doctorum accipitur pro composito ex oleo & balsamo, ut patet ex Concilio Florent. decreto de Sacramentis, & insinuat Fabianus Ponti-

fex epist. 2. Innoc. 3. cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, & apertè cap. unico §. 1. de sacrâ vñctione, item S. Greg. cap. 1. canticum ad illa verba: *omnes Engaddi*, dices ibi nasci balsamum, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona S. Spiritus exprimuntur, & indicat D. Thom. in corpore, & resp. ad 2. vbi docet materiam huius Sacramenti conuenienter esse compositam. idem tradit Scot. dist. 7. quæst. 1. vbi

Notandum 2. hoc compositum adhiberi conuenienter fini & effectui huius Sacramenti. nam, ut Florent. supra, & Innoc. 3. de sacrâ vñctione, oleum significat nitorem conscientie, per balsamum verò bona fama denotatur, quæ huic Sacramento optimè conueniunt, cum per illud comparatur puritas conscientie, quæ designatur per nitorem, & conferantur auxilia ad liberam fidei professionem, quæ bonam famam apud alios parit.

Notandum 3. oleum quod est materia huius Sacramenti necessariò debere esse oliuarum, ut S. Thom. ad 3. & communiter Doctores. nam alij liquores, qui habent olei similitudinem, non sunt verum oleum. hinc si neglecto oleo oliuarum sumatur oleum nucum, raparum &c. non conficitur Sacramentum, in quo Doctores conueniunt, ex quibus constat quod oleum oliuarum sit de essentia materie huius Sacramenti. Sed oritur

D V B I V M I.

Utrum balsamum similiter sit de essentia seu omnimoda necessitate materie Confirmationis?

D V P L E X est hac de re sententia.

Prior affirmat, indicat D. Thom. tum in corpore, tum præcipue responsione ad 2. tenet Scotus supra, & plures antiqui. Adrian. quæst. de Confirmatione, art. 2. Suarez disp. 33. sect. 1. in propositionibus, Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 1.

Posterior negat. Caiet. hic, Viç. de Confirmatione num. 41. Sotus dist. 7. quæst. unica art. 2. num. 8. Valent. tomo 4. disp. 5. quæst. 1. puncto 2. §. videtur itaque mihi, & alijs quam probabilem iudicat Suarez disp. 16. sect. 2. §. dices ergo nunquam.

Notandum authores huius sententie inter se discrepare. nam aliqui insinuat mixtionem balsami esse ex Christi institutione, & tanquam partem integram ad hoc Sacramentum pertinere. Estius dist. 7. §. 8. in fine. Alij censent balsamum solum esse de necessitate præcepti, diuini quidem ut Sotus, ecclesiastici verò ut Caiet.

Resp. & dico balsamum ita requiri ad substantiam materie huius Sacramenti ut Sacramentum absque eo validè confici nequeat.

Probat 1. ex Concilio Florent. citato docente materiam Confirmationis esse chrismam ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo, qui odorem significat bonam famam, per Episcopum benedicto. ex quo licet argumentari: Concil. eodem planè modo loquitur de balsamo, atque de oleo, & insinuat ad chrismam, quod est materia Confirmationis, eodem modo requiri balsamum, quo requiritur oleum, oleum autem requiritur omnimodâ necessitate materie.

Innoc. Cap. Pastoralis, Greg.

Conuenienter adhibetur chrismati.

Necessariò debet esse oliuarum.

14.

Due sententie. Prior affirmat. D. Thom. Scot. Adrian. Suarez. Henriquez. Posterior negat. Caiet. Viç. Sot. Navar. Valent. Doctorum in hac questione discrepat.

Conclusio Defenditur affirmatiua. Prohibet Florent.

Confir.

Confir. neque illud Concilium, neque aliud, vel vilius Pontifex insinuat aliter requiri oleum, quam balsamum; ergo non debemus interpretari quod Concilium aliter requirat oleum, aliter balsamum, cum in re tanti momenti propter aliquam leuem difficultatem petita ex ratione, clara verba Concilij non debeant torqueri.

Confir. 2. Concil. in alijs censetur ponere materiam, sine qua Sacramenta confici nequeant (si satisfactionem excipiamus, cuius est peculiaris ratio, de qua suo loco) ergo dicendum est hic etiam velle tradere materiam ita necessariam, vt sine ea Confirmatio perfici non possit. cum ergo assignet pro materia aliquid compositum, omnino asserendum est materiam huius Sacramenti necessariò esse compositum, cuius compositi pars est balsamum; ergo balsamum, eiusque commixtio pertinet ad substantiam Confirmationis.

Confir. 3. cum idem Concilium vult docere aliquid, quod videbatur pertinere ad rationem materie, reipsa non esse necessariam ad rationem Sacramenti, id satis explicat, vt patet in aqua quæ vino misceri debet pro consecratione sanguinis, hic autem nihil simile insinuat.

Probatur 2. ex Fabiano epist. citata, ex qua apparet quod aliqui propter difficultatem balsami comparandi negligerent chrisma singulis annis conficere, quos redarguit Pontifex docens in Romanâ Ecclesiâ, Antiochenâ, id à temporibus Apostolorum custodiri, vt singulis annis chrisma (confectum ex oleo & balsamo, vt patet ex discursu) renouetur; similiter in Ephesinâ & Hierosolymitanâ, in quibus Apostoli presidentes id docuerunt, addens insuper quod Christus in vltimâ cenâ chrisma conficere docuit. ex quibus possumus intentum variè ostendere.

Chrisma, cuius Pontifex mentionem facit, est compositum ex oleo & balsamo, seu necessariò requirit balsamum, agit autem de chrismo, quod est Confirmationis materia; igitur materia Confirmationis requirit balsamum; atqui quod requirit materia Confirmationis, venit ex Christi institutione; ergo ex institutione Christi balsamum requiritur ad materiam Confirmationis, & proinde ad rationem Sacramenti. vltima consequentia probatur, quod in aliquo Sacramento venit ex Christi institutione, nec aliunde scitur non pertinere ad substantiam Sacramenti, asserendum est ad illam pertinere, quia non videtur facilius & certior regula posse assignari vt cognoscamus aliquid pertinere ad substantiam alicuius Sacramenti, quam quod veniat ex Christi institutione in consecratione Sacramenti, & non sciatur aliunde non pertinere ad substantiam Sacramenti. 2. quod Ecclesiâ ab Apostolis fundata & gubernata, ab ipsis Apostolorum temporibus inuolabiliter seruauit, quod non apparet ab illis præceptum, omnino videtur à Christo descendere; Ecclesiâ autem ab Apostolis fundata semper seruauit, vt chrisma quod est materia Confirmationis, conficeretur ex oleo & balsamo, vt patet ex epist. Fabiani citatâ, nec apparet quod Apostoli id præceperint.

Confir. si mixtio balsami requireretur solùm ex præcepto ecclesiastico, Fabianus non debuisset tam acriter reprehendere Episcopos, qui propter difficultatem obtinendi balsamum, negligerant christina singulis annis conficere, potuissetque facile dispensare, vt simplex oleum oliuarum pro Confirmatione benediceretur. vnde

Probatur 3. Ecclesiâ nunquam legitur dispensasse, vt Sacramentum Confirmationis conferretur in simplici oleo oliuarum benedicto, igitur signum est huiusmodi mixtionem non tantum esse præcepti ecclesiastici, vt vult Caiet.

Ex his colligo 1. balsamum non esse solùm de necessitate præcepti ecclesiastici ad consecrationem chrismatis quod est materia Confirmationis.

Colligo 2. contra Sotum non solùm esse de necessitate præcepti diuini, cum non habeamus sufficienti principium theologicum sed asserendum mixtionem balsami requiri ex Christi præcepto in consecratione chrismatis, & tamen non requiri ad rationem materie, seu necessitate medijs ad valorem Sacramenti.

Colligo 3. balsamum non tantum pertinere tanquam partem integram ad materiam huius Sacramenti, sed etiam tanquam partem omnino necessariam ad eius essentiam, vt ex Florent. deducitur.

Contra resolutionem obijciunt 1. non est verisimile Christum instituisse Sacramentum in materia, quæ difficillimè haberi potest, balsamum autem difficulter comparatur, vt patet ex Fabiano supra, & ex Plinio lib. 12. naturalis historie cap. 25. referente tantum in duobus hortis Iudææ reperiri solitum. ita multi.

Sed si quid argumentum probet, probat etiam minus prudenter præcipi ab Ecclesiâ, vt balsamum permisceatur oleo ad chrisma conficiendum, & quidem tam rigido præcepto, vt nunquam dispensaret, vt in simplici oleo conferretur. immò idem dici posset de præcepto diuino in quod difficilius cadit dispensatio, dici, inquam, posset nullo modo decessisse, vt Christus præciperet materiam sufficienti huius Sacramenti misceri aliquid, quod tam difficulter potest obtineri, & multò minus decessisse vt id constitueret partem integram, quæ prætermitti non posset sine grauissimo sacrilegio. vnde

Resp. neg. assumptum & dico, quod ad id asserendum sufficientissimum habeamus fundamentum, auctoritatem scilicet Fabiani, & perpetuum vsum Ecclesiarum ab Apostolis fundatarum, ex quarum facto redarguitur coniectura Caietani dicentis quod pauperes Episcopi olim non videantur vsi balsamo, cum constet etiam à temporibus Apostolorum Romanam, Antiochenâ &c. illo vsum. Adde quod licet primis temporibus satis parua haberetur balsami copia, postmodum tamen pluribus in locis inuentum sit, & hætenus in Ecclesiâ non defuerit, quod signum est non esse tam difficile illud comparare.

Dices Paulus 3. Pius 4. Gregorius 13. facultatem concesserunt, vt chrisma ex balsamo Indico conficeretur, ergo signum est balsamum non esse de substantia Sacramenti, cum à varijs dubitetur num Indicum sit verum balsamum.

Resp. negando consequentiam, ad cuius confirmationem dico dubitari quidem vtrum differat specie à Syriaco, non verò vtrum sit verum balsamum, & proinde ad substantiam Sacramenti sufficiens, quæ non requirit balsamum certæ speciei, sed verum, cuiuscumque demum speciei. quemadmodum quodlibet vinum de vite est apta materia consecrationis, siue vnum ab alio differat specie, siue non. vnde dico prædictos Pontifices non tam dispensasse in aliquo, quam re diligenter examinata, declarasse balsamum Indicum, de quo dubium esse poterat propter aliqualem eius

Prob. 3. ex eo quod d. Ecclesiâ nunquam dispensant.

Coroll.

16.

Obiectio 1.

Resp. 1. ad hominem.

Resp. 2. ad rem ipsam.

Dubitat an Indicum specie differat à Syriaco.

Pontifices non dispensant, sed declarantur in eo esse verum balsamum.

eius imperfectionem, esse legitimum ad chrismâ conficiendum pro Confirmatione, & Episcopos illo tuto vti posse.

Obiectio 2.

Obijciunt 2. licet vinum aqua mixtum sit materia Sacramenti Eucharistiæ, tamen ad eius substantiam aqua non est necessaria; ergo similiter, licet oleum mixtum balsamo statuatur materia Sacramenti Confirmationis, non sequitur balsamum necessariò ad eius substantiam requiri.

Resp.

Resp. 1. nunquam dici materiam consecrationis calicis confici ex vino & aqua, quemadmodum materia huius Sacramenti statuitur à Flor. chrismâ confectum ex oleo & balsamo. vnde ex eo quod aqua non requiritur ad materiam consecrationis calicis, non sequitur balsamum non requiri pro materia Confirmationis.

Trident.

Resp. 2. neg. consequentiâ, nam licet esset idem loquendi modus, ex dictis patet aliter esse iudicandum de balsamo respectu Confirmationis, & aliter de aquâ respectu consecrationis calicis, cum nobis constet ex Concilio Trid. aquam permisceri vino solum ex præcepto ecclesiastico sumptâ occasione ex Christi factò; in præsentem autem nihil simile nobis declaratur, ut patet ex primâ nostrâ probatione.

17.

Obiectio 3.

Obijciunt 3. quod Patres materiam huius Sacramenti sæpius solum vocent oleum; ergo signum est illud solum esse materiam necessariam Sacramenti, immò licet varij vocent chrismâ, non potest sumi argumentum, quod balsamum sit de essentiâ materiæ Confirmationis, cum nomen chrismatis de solo oleo benedicto dici possit, ut patet ex Innoc. 1. epist. 1. cap. 8. qui oleum, quod est materia extremæ unctionis, vocat chrismâ.

Innoc. 1.

Resp.

Resp. neg. consequentiâ, nam quamvis aliqui Patres solum olei mentionem fecerint, non tamen negarunt balsamum esse necessarium pro chrismate, quod est materia huius Sacramenti, cuius necessitatē alij adstruunt ut Flor. Fabianus, Greg. citati. vnde ad aliud dico, argumentum non sumi ex sola significatione nominis chrismâ, sed quod Concil. Flor. & Pontifices requirant balsamum pro chrismate, quod est materia huius Sacramenti.

Obiectio 4.
Dionys.

Obijciunt 4. quod Dion. Areopagita cap. 4. Ecclesiasticæ hierarchiæ ante medium, agens de materiâ Confirmationis nullam mentionem faciat balsami, sed dicat esse collectionem quandam materialium suavitè spirantium.

Resp.

Resp. si aliquid fragrans præter necessitatem tempore Dionysij interdum adhiberi solet in consecratione chrismatis, id non arguere nihil præter oleum esse necessarium ad rationem materiæ.

Obiectio 5.
ex cap. Pastoralis.

Obijciunt 5. cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, Pontifex consultus si Sacramentum Confirmationis in eo deberet iterari, qui per errorem fuerat non chrismate, sed oleo delinitus, respondet quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum; quibus verbis insinuat mixtionem balsami esse aliquid accidentale, propter cuius omissionem Sacramentum non reddatur irritum; nam alioquin, debuisset respondere, iterandum.

Resp.

Confir. eodem modo respondet de eo, qui sine manuum impositione fuerat ordinatus in subdiaconum, de cuius ordinis essentiâ constat non esse manuum impositionem.

Ad hoc argumentum quod videtur præcipuum secundæ sententiæ, dico eam nullum inde subsidium habere, nam si quid concludi posset ex responsione

Pontificis iuxta sensum, quem verba præ se ferunt, concludendum esset in eo casu solum balsamum adhibendum, quod tamen est inauditum, cum illud nec seorsim solet benedicere nec debeat seorsim in Confirmatione adhiberi. vnde

Dico 2. Pontificem velle in genere id cautè supplendum quod omisum est, non repetitis ijs quæ sunt adhibita; supplendum, inquam, eo modo quo aliqui deberet adhiberi, siue illud sit substantiale, siue accidentale, atque adeò, si adhibitis ritibus accidentalibus aliquid substantiale sit omisum, illud solum supplendum, eo scilicet modo quo pontifex debet. vnde conficitur quod Pontifex innuat supplendam unctionem chrismatis eo modo quo chrismâ in hac materia sumitur, & quo sumplerat idem Pontifex titulo præcedenti cap. vnico §. 1. quia chrismâ fuerat omisum, cumque chrismâ non solet adhiberi sine forma, concluditur formâ etiam repetendam; & proinde iuxta Pontificis responsionem repetenda substantia Sacramenti, ad confirmationem

Resp. ex exemplo subdiaconatus de cuius essentia non est manuum impositio, non aptè concludi unctionem chrismatis non esse de essentiâ Confirmationis. quia Pontifex non agit de illis tanquam de similibus, sed quia de duobus illis fuerat consultus. vnde respondet ad species facti sibi propositas, siue ex per omnia sint similes, siue non, de quo disputare non pertinebat ad illius institutum.

Obijciunt 6. satisfactio est pars Sacramenti penitentiae, siue qua tamen essentia ipsius Sacramenti consistit, quidni ergo dici potest balsamum esse quidem partem materialem integram Confirmationis, siue quâ Sacramentum possit subsistere?

Resp. id dici non posse, cum neque ex sensu Ecclesiæ, neque ex naturali conditione possimus concludere balsamum non requiri ad essentiâ Confirmationis, cum è contrario de satisfactione respectu penitentiae id optimè ex utroque principio colligatur, nam communi sensu Ecclesiæ sine satisfactione subsistit Sacramentum penitentiae, & aliquis valide, immò & fructuosè, recipit absolutionem, qui nullam ponat satisfactionem, ut patet in mortis articulo; quod & naturalis conditio satisfactionis suadet, cum satisfactio sit instituta ad plenam & perfectam peccatorum remissionem, seu potissimum sit instituta ad deletionem peccati, quæ sæpè remanet peccato per absolutionem condonato. vnde secundum naturalem suam conditionem subsequitur formam absolutionis, & proinde supponit essentiâ Sacramenti, cum è contra mixtio balsami supponatur formæ.

Sed cum altera sententia non sit improbabilis, dubitari potest an propter carentiam balsami possit Episcopus in simplici oleo Sacramentum Confirmationis conferre? Affirmat Suarez disp. 16. citata, quia si quod sit periculum nullitatis, Episcopus non tam censetur se illi exponere, quam illud permittere, (cui non possit vitare) ut Sacramentum probabile conferat.

Verum id non videtur licitum 1. quia, quidquid sit de necessitate Sacramenti, constat strictissimo præcepto ecclesiastico Confirmationem non posse conferri in simplici oleo, quod præceptum non censetur relaxari, eo quod balsamum obtineri nequeat.

2. Licet secunda sententia sit speculatiue probabilis, non possumus tamen eâ vti absque gravi necessitate, ne cum gravi sacrilegio Sacramentum

periculo

Explicetur
ment Pontificis.Substantia
le omisum
supplendum
eo modo,
quo pontifex
debet.Pontifex
non agit de
balsamo, de
impositione
ne manuum
in subdiaconatu
conatum, ne
quam de similibus.

Obiectio 6.

Resp.
Non est
mixtio de
satisfactione
quæ est pars
integritatis
penitentiae.Suarez
vult Episcopum
propter
periculum
nullitatis
balsami
posse in
simplici
oleo con-
ferre.
Improbatur
Auctor.

periculo nullitatis exponatur. moraliter autem non potest occurrere necessitas quæ ab hoc sacramento excuset, cum homo graviter agrotus & in periculo mortis constitutus possit extremam unctionem in tali oleo recipere, si bene valeat, possit recipere Sacramentum penitentiae vel Eucharistiam, nec facile occurreret casus, quo per Episcopum possit confirmari, & nulla alia Sacramenta recipere.

Dices ut hæc ita sint, tamen magnum bonum est confirmari; præterea hoc Sacramentum potest esse necessarium ad liberam fidei promissionem; igitur subest ratio sufficiens vitandi sacrilegij, quævis Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Resp. neg. consequentiam; nam solus spiritualis fructus in hoc consistens quod gratia per Sacramentum recipiatur, non est sufficiens ratio illud exponendi periculo nullitatis. unde patet responso ad priorem partem antecedentis. Ad alteram dico Sacramentum Confirmationis non esse omnino necessarium ad liberam fidei promissionem, ut ex dictis dub. 3. art. 1. patet, & proinde neque ex eo capite Sacramentum posse exponi periculo nullitatis.

DUBIUM II.

Utrum Apostoli in administratione Confirmationis chrismate usi fuerint?

Tres sunt hæc de sententiae.

Prima negat eos nunquam usus chrismate. Ita Alensis 4. parte quest. 24. membro 1. & 2. Bonau. dit. 7. art. 1. quest. 1. & 2. qui censent unctionem chrismatis in Sacramento Confirmationis institutam in Concilio Meldensi.

Secunda asserit semper usus; tenet Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 115. Bell. lib. de Confirmatione cap. 9.

Tertia est media, docens eos interdum usus solam manuum impositionem, interdum adhibuisse chrismate; ita D. Th. hic ad 1. Henriquez lib. 3. cap. 1. nu. 3. qui plures citat littera L. videtur quæ sententia Scoti dit. 7. quest. 1. & propendit Suarez dispu. 33. sect. 4. in fine, & alij.

Dico 1. verius est Apostolos aliquando saltem usus chrismate.

Probatur, non est verisimile Apostolos id semper neglexisse, quod docente Christo Ecclesijs præscripserunt; ut autem constat ex epist. 2. Fabiani, præscripserunt Ecclesijs confectionem chrismatis singulis annis in die Cœnæ, scilicet pro administratione Confirmationis; igitur videtur asserendum quod in administratione huius Sacramenti illud non neglexerint.

2. Dionys. Areopagita cap. 4. Ecclesiastica hierarchia in principio ait: est autem summum alterum Sacramentum quod præceptores nostri, id est Apostoli, vngunt mysterium nominis, quo loco docet Apostolos nominasse Sacramentum Confirmationis mysterium seu Sacramentum vnguenti, unde non fit verisimile eos nunquam usus materiam, quam alijs præscripserunt, & à quâ Sacramentum nominant.

Dico 2. verius videtur quod semper eo usi fuerint, seu quod nunquam hoc Sacramentum sine chrismate per solam manuum impositionem contulerint.

Probatur, materia huius Sacramenti est chrismate,

ma, prout saltem dicit oleum benedictum, non debemus autem dicere Apostolos hanc materiam prætermisisse, nisi nobis aliquo modo constet de dispensatione; de hac autem non sufficienter constat.

Nam quamvis in Actis Apostolorum solius impositionis manuum mentio fiat Act. 8. & 19. non aptè concluditur Apostolos solam manuum impositionem confirmasse, & chrismate neglexisse, sed in eo quod non inquitur, potest alterum subintelligi, cum ex usu Ecclesiæ constet ad substantiam huius Sacramenti requiri iuxta regulam, quam tradidit Aug. lib. de fide & operibus, cap. 9.

Confir. si propter hunc loquendi modum dicendum esset Apostolos aliquando confirmasse solam manuum impositionem, dicendum etiam esset post tempora Apostolorum hoc Sacramentum per solam manuum impositionem collatum, & quidem per tria secula, quod est planè improbabile. Assumptum probatur, quia varij Pontifices & Concilia solius impositionis manuum mentionem faciunt. Urbanus 1. epist. decretali: omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum S. accipere debent. Eusebius epist. 3. ad Episcopos Tusciae & Campaniae: manus impositionis Sacramentum magnæ veneratione tenendum est. Concilium Elibertinum can. 38. baptizatum, qui superinixerit, ad Episcopum adducat, ut per manus impositionem perfici possit. Arelatense can. 8. manus ab Episcopo imponantur, ut accipiant Spiritum S. Hieron. dialogo aduersus Luciferianos num 16. & 17. non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad omnes, qui in longè minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem S. Spiritus manuum impositionem excurrat.

Probatur 2. Innoc. 1. epist. 1. cap. 3. ex eo ostendit solos Episcopos posse chrismate vngere, quod Apostoli Petrus & Ioannes Act. 8. directi sunt, qui iam baptizatis traderent Spiritum S. quo discursus videtur insinuate Apostolos eo loco Act. tradidisse Spiritum S. per consignationem frontis cum chrismate, similiter Innoc. 3. cap. vnic. de sacra unctione. §. per frontis chrismationem, ait, per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio &c. unde cum veteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, id est Episcopus, debet conferre, quia de solis Apostolis legitur (quorum vicarij sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum S. dabant, quem admodum Act. Apostolorum lectio manifestat. ex quibus videtur deduci Pontifices iudicare Apostolos non imposuisse manus sine chrismate.

Obijciunt 1. Flor. quod agens de hoc Sacramento dicit: sed autem illius manus impositionis (de qua scilicet agitur in Act. Apostolorum) datur in Ecclesiastica Confirmatio.

Resp. Concilium nolle ritum ritui successisse, sed solum nomen nomini, hoc sensu, quod in Actibus Apostolorum vocatur manus impositio, in Ecclesia passim vocatur Confirmatio, unde

Notandum etiam nunc Episcopum manum imponere, seu manu tangere fratrem eius qui confirmatur, à quo contactu non videtur discrepasse manuum impositio, de qua in Actis.

Obijciunt 2. quod Apostoli pauperes Ecclesijs nondum fundatis non videantur commode potuisse comparare balsamum, rem magni pretij.

Resp. id non satis constare, neque enim tanta fuit difficultatis, cum per piam personam pecunia necessaria potuerint suppeditari.

In eo quod in Actis nominatur, potest alterum subintelligi.

Varij Pontifices solius impositionis manuum mentionem faciunt. Urbanus 1. Euseb. Concil. Elibert. Arelatense 1.

Hieron.

Innoc. 1.

Innoc. 3.

19.

Obiectio 1. Flor.

Resp.

Etiā nunc Episcopi dantur manus impositionem, dum confirmant.

Resp.

Petes

Petes an Apostoli Sacramentum Confirmationis receperint? Negat D. Th. ad 1. & communiter Doctores; Deus enim, cuius virtus non est alligata Sacramentis, contulit effectum sine Sacramento Confirmationis, quando in die Pentecostes repleti sunt Spiritu S.

Apostoli in Pentecoste receperunt effectum Confirmationis, sine ipso Sacramento.

ARTICULVS III.

Utrum sit de necessitate huius Sacramenti, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum?

Resp. affir.

AFFIRMAT; quod supposita institutione ostendit conuenienti congruentia: Christus non est vltus visibili vñctione ad homines sanctificandos, & proinde eam suo contactu sacramentali non sanctificauit, quemadmodum sanctificauit materiam baptismi & Eucharistia, quæ non indigent vltiori benedictione vt sint legitima materia istorum Sacramentorum, vnde sequitur quod decuerit chrisma benedici, vt esset apta materia huius Sacramenti.

Non licet confirmare in chrysmate non benedicto.

Notandum certum esse, Sacramentum Confirmationis non posse licite conferri in chrysmate non benedicto, cum benedictio vt minimum sit præcepti ecclesiastici, sed oritur

DVBIVM I.

Utrum benedictio chrysmatis requiratur ad valorem Sacramenti?

20.

Palud.

PALVDANVS dist. 7. quæst. 1. art. 2. in conclusione 3. insinuat non requiri, quatenus censet ex dispensatione Pontificis posse conferri in chrysmate non consecrato, in quam sententiâ propendit Estius eadem dist. §. 9. circa finem. Sed

Conclusio. Benedictio est necessaria necessitate Sacramenti.

Resp. necessariò requiri. Ita D. Th. hic in corpore, vbi constituit discrimen inter benedictionem aquæ baptismi, & chrysmatis, ac olei infirmorum, quod benedictio aquæ pertineat ad solemnitate Sacramenti, non autem ad necessitatem; chrisma verò & oleum infirmorum prius benedicatur (scilicet necessitate Sacramenti; id enim postulat antithesis) quam adhibeantur ad vsum Sacramenti. Eadem est communis sententia & certa; patet ex Flor. dicente: *materia est chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto*. quæ loquendi forma indicat benedictionem esse conditionem necessariam ex parte materiae, & non pertinere ad ritum accidentalem. Item ex Fabiano supra dicente Christum docuisse (scilicet Apostolos) chrisma conficere, quod non potest designare materialem compositionem, quæ nihil magnum continet, & potius spectat ad pharmacopœos, quam ad Episcopos, sed sanctificationem quandam, igitur chrisma ex Christi institutione benedici debet, vt sit materia huius Sacramenti, & per consequens benedictio videtur conditio ex parte materiae necessaria. insinuat etiam Gregorius super caput 1. Cantici ad verba: *in vineis engaddi ibi nascitur balsamum quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona S. Spiritus exprimuntur*.

Florent.

Fabian.

Greg.

Nulla in particulari benedictio est à Christo determinata.

Notandum quod licet aliqua benedictio in confuso requiratur ex Christi institutione ad hoc, vt chrisma sit debita materia huius Sacramenti, nulla tamen in particulari sit ab eo determinata,

sed modus benedictionis Ecclesie sit relictus, vnde is modus sufficit quem designat Ecclesia; qui pro temporum & regionum diuersitate potest esse alius atque alius, & fieri potest vt benedictio vno tempore sufficiens, non sufficiat alio. Pontifice prohibente & irritante talem benedictionis modum.

Ex quo facile patet Pontificem posse indirectè efficere vt nullus Episcopus valide hoc Sacramentum conferat, si videlicet non inueniatur chrisma consecratum, & omnem benedictionis modum. Pontifex reprobet, nolique vllum sufficere vt chrisma censeatur materia apta Confirmationis, quamvis enim Ecclesia nihil possit directè circa substantiam Sacramenti, mutando materiam vel formam; bene tamen potest aliquid indirectè, quia scilicet ex parte materiae vel formæ vel ministri exigatur aliqua conditio, circa quam Ecclesia aliquid potest, vt g. quia ad validam absolutionem requiritur iurisdicção, vel saltem applicatio materiae per Ecclesiam, potestque Pontifex denegare huiusmodi iurisdictionem vel materiae applicationem, potest ex consequenti omnem absolutionem irritam reddere. similiter quia ad validitatem Sacramenti matrimonij requiritur, vt contractus civilis, in quo Sacramentum matrimonij fundatur, sit validus; ad cuius valorem requiritur materia & forma legitima, civilis autem potestas certum modum contrahendi potest reddere inuálidum, similiter personas reddere inhabiles ad contrahendum, & efficaciter tradendum sui dominium, sit vt Ecclesia possit indirectè impedire, quod minus Sacramentum matrimonij sit validum. Ita in præsentia, quia ex Christi institutione ad valorem Confirmationis prærequiritur benedictio materiae, cuius benedictionis modum reliquit Ecclesia determinandum, sit vt si Pontifex omnem benedictionem reprobar, Confirmatio non posset valide confici defectu legitime materiae. videri potest Suarez tomo 4. disp. 4. sect. 1. num. 9. qui in hanc sententiam videtur propendere, quamvis alibi contrarium indicet.

Petes vtrum requiratur vt chrisma sit eodem anno benedictum?

Resp. requiri ex præcepto ecclesiastico, vt patet ex Fabiano supra, & ex communi sensu; non tamen requiri ad valorem Sacramenti, quia hæc non est ab Ecclesia declaratum quod antiquum chrisma suam benedictionem amittat, si qualitates chrysmatis retineat.

Aduerte 1. chrisma debere singulis annis renouari in die Cænæ Domini, & antiquum comburi, in quo sine magna necessitate Sacramentum conferri nequit absque peccato, debet autem benedici in Ecclesia, & quidem ritibus præscriptis, potestque benedici, quemadmodum & chrisma pro baptismo, etiam si terra sit interdico supposita, vt patet ex cap. *quoniam*, de sententia excommunicationis, in 6. quod si Episcopus propter impedimenta non possit solemniter chrisma conficere, aliunde nouum est deferendum.

Aduerte 2. non propterea chrisma non censeri benedictum quod Episcopus fortè aliquid in rituali positum omiserit, quia Ecclesia non ita videtur requirere vt omnia dicantur, vel seruentur quæ sunt præscripta, vt benedictio reddatur irrita, si quid fortè omittatur.

Contra conclusionem obijciunt 1. Innocent. 1. epist. 1. cap. 3. dicit: *presbiteris, cum baptizant, chrysmate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum*.

Corollaria. Potest Pontifex efficere vt nullus Episcopus valide conferat.

21.

Ecclesia non determinat quod chrisma sub benedictione amittat.

Potest benedici in terra interdico subiecta.

Cap. quoniam.

Licet fortè Episcopus aliquid in rituali positum omiserit, non videtur ex hoc benedictio obijci.

Obijciunt 1. Innocent. 1. epist. 1. cap. 3. dicit: *presbiteris, cum baptizant, chrysmate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum*.